



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Iacobvs Intercisvs M. 27. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. IACOBVS INTERCISVS M.  
27. Novembris.

IACOBVS inter proceres Persarum  
facile princeps, Regique Isdegerdi u-  
nicè charus, ut huic fidem suam proba-  
ret, Christo datam abjuravit, communi  
Aulicorum vitio abreptus, qui hodie  
etiam quosvis mores in Rege DEOS  
putant & DEOS adorant. At mater  
conjunxque IACOBI, nobilis utraque  
& Christiana matrona, non ferendum  
facinus rata, literas cignas se ad eundem  
scripserunt. In his & sinu mater & tha-  
lamo conjunx proscribebant. Neque  
enim mater agnoscere aiebat se filium  
prater eum, qui suo in vultu patris ma-  
trisque vultum, hoc est, Christianum  
ostenderet. Vbera sua si bibisset, spira-  
turum, quam cum lacte instillasset  
pietatem. Scire celo se filium genuis-  
se, non terræ, qui Superis bellum indi-  
ceret. Abortum proinde esse, quem  
nunc Iacobum dicerent, ideoque abji-  
cere hunc sese. At conjunx desperare  
se de thori socio scribebat, qui ipsam  
fidem adulterasset; nimirum qui hanc  
frangere inmortali DEO non dubita-  
set, mortali servaturum, sanctamque ca-  
stitarè habiturum, qui Numina Venerè  
adulteram, qui vagum Amore coleret.  
Qui igitur & filiū & conjugē exuisset,  
nomina quoque tam splendida poneret,  
nec

nec alius dici quàm esse vellet. Habuere momentum literæ, amore dictante & lacrimis suggerentibus atramentum scriptæ, & recepit meliorem mentem IACOBVS, palamque Christianum iterum se confessus, novem horarum carnicinâ, manuum primò pedumque articulis, tum brachiis surisque, ultimò capite truncatus atrum factum nuperum omni sanguine obliteravit. Ex Niceph.

SS. BARLAAM ET IOSAPHAT  
CC. 27. *Novembris.*

ETiam Indis pulchra jam olim fuit, Ejuventus. Princeps hujus memoratur IOSAPHATVS Regis Abenneris filius, voluptatibus ab ipsis cunabulis innutritus, & ne, quid miseria humana esset, vel nosse posset, procul ab oculis aliorum, inter omnes illecebras educatus. In tam blando carcere agentem adiit BARLAAMVS Eremita incola gemmarum Mangonem præferens. Certè nobilissimam illi gemmam fidem vendidit. Mox cum deambulatum produxisset cupidum, in homine primum mendico, tum leproso, in decrepito denique sene ad eum diem nunquam visis, mundi vultum & eminentium colorem, velut in minimè mendaci speculo ostendit. Laborabat itaque necquicquã parens, vel ad Deos filium,